

992 LXIX. DE AVG. SEREN. PRINC. FRID.

rium, atque votis solemnibus susceptis, felicia et sa-
lutaria quaeque ominantur. Gaudia, plausus, gratu-
lationes vbiique audiuntur. Festi autem celebritas et
pompa, vel ab eloquentissimis, describi nequit. Iuuat
in aliis rebus semper, atque omnino necessaria est,
prisca frugalitas: hic saluberrimum, ad stuporem va-
que omnium, aperitur copiae cornu. Aurea valet in
rebus aliis mediocritas: hic nullus laetitiae modus,
aut terminus esse debet. Quamuis etiam summa sint
vbiique locorum iubila: minora tamen sunt, quam vt
Nuptiis Augustissimis, earundemque felicitati, suffi-
cient: quae Principum largam promittunt seriem, et
amplissima ciuibus simul omnibus incrementa, nullis
temporum iniuriis minuenda, pollicentur. Propter
auspicatissimas OPTIMORVM PRINCIPVM nuptias
templa precibus atque hymnis personant. Voluptati-
bus curiae et tribunalia afficiuntur. Summa laetitia
vrbes implentur. Iucundo lumen splendore oppi-
da, vici, rura, collucent. Neque solum Brunouicen-
ses, Luneburgenses, Hassiacae, et quotquot Princi-
pum Celsissimorum imperio subiectae, regiones illius
tanti gaudii magnitudinem continent; verum et lon-
ge lateque per omnes prouincias totius Europae semet
eius vbertas diffundit. Nec immerito liberalioris dis-
iplinae studiosa iuuentus vbiique locorum, vt exercita-
tionibus vacat iucundissimis, ad vota et congratulatio-
nes se applicat. Quammaxime vero in huius gaudii
societatem Rintelienenses veniunt Musae, quae plausum
certamine publico, et communi patriae laetitia, sibi
temperare non possunt, quin eam suis quoque oratio-
nibus adiuuarent, summamque huius temporis festi-
vitatem, imo fortunam tot populorum exoptatissimam
et Principum suorum nuptias laetis ac faustis omni-
bus prosequerentur. Dabis hoc, CONIVGVM PAR-
SERENISSIMVM, nobis, vt iubilis tripudiisque gau-
dia comitemur Tua. Cadmi et Harmoniae olim quo-
que nuptiis Musae cum reliquis Diis interfuerunt,
quarum